

# Unikurs Latein. Lektionstexte

## Lektion 1

Iuli-us legat-um audi-t.  
Iuli-us legat-os audi-t.  
legat-us (ad popul-um) veni-t.  
legat-i (ad popul-um) veni-u-nt.

### Römer, Germanen und Gallier

populus Romanus magnum imperium possidet. extra imperium Romanum Germani habitant. populi vicini Germanos timent. Germani enim impetus in populos vicinos faciunt. etiam Romani contra Germanos saepe bella gerunt. apud Germanos Suebi magnum regnum possident, uberrimos agros colunt, sed privatos agros non habent. multi populi Suebos timent. Suebi enim saepe bella contra vicinos populos gerunt. multa arma et multos viros armatos habent. etiam contra Gallos bellum gerunt – Galli cis Rhenum habitant. Galli legatos ad Romanos mittunt. legati ad Romanos perveniunt et auxilium petunt. Romani legatos audiunt et viros armatos mittunt. tamen post nonnullos annos Romani bellum contra Gallos gerunt et Gallos vincunt.

## Lektion 2

legatus populi vicini ad Romanos venit.  
legati populorum vicinorum ad Romanos veniunt.  
Romani populo vicino auxilium mittunt.  
Romani populis vicinis auxilium mittunt.

### Eine Nachricht von Atticus ...

Pomponius, Marci Tullii amicus, amico suo nuntium mittit.  
interea Tullii pueri in atrio iam exspectant.  
denique Titus Pomponius vocat pueros, ostendit pueris nuntium, dat pueris etiam parvum praemium. pueri nuntium accipiunt, accipiunt et praemium, gaudent. tum Pomponius pueros ad amicum mittit. statim pueri ad Tullium dominum currunt. sed – malum! – pueri in itinere Pomponii libellum amittunt.

### ... keine Nachricht von Atticus

interea Tullius nuntium amici iam exspectat.  
at Tullius spectat spectatque, sed pueros non videt.  
subito pueros conspicit, iam gaudet exclamatque „ecce pueri veniunt, ecce novum nuntium Pomponii amici apportant!“  
pueros vocat quaeritque: „quid Pomponius scribit? quid novi scribit?“ pueri autem Tullio libellum non tradunt, libellum enim non habent. unus puerorum „Pomponius“, inquit, „nihil novi scit, itaque nihil scribit.“  
Tullius et amicum suum et pueros suos non ignorat.  
itaque puerorum verba audit, sed pueris non credit. animos enim puerorum perspicit.  
Tullius furit puerosque vehementer vexat.  
tandem pueri erratum suum agnoscunt parvumque praemium domino reddunt.

### **Lektion 3**

Pomponius stilo scribit.  
Romani Gallos bello vincunt.  
Pomponius nuntium mittere constituit.

#### **Eine Schlacht zwischen Galliern und Römern**

Galli e multis locis in nostros impetus faciunt et tela coniciunt et multos vulnerant. Caesar Labienum legatum cum aliis legionariis subsidio nostris mittit. sed Galli multis telis Romanos pellunt et magnum numerum nostrorum interficiunt.

mittit nostris primum Brutum legatum cum legionariis Caesar, post cum aliis C. Fabium legatum; postremo ipse integros subsidio adducit. proelium renovat, Gallos repellit et ad Labienum contendit. Labienus enim alio loco cum Gallis pugnat. Galli se recipiunt. pauci ex numero Gallorum integri se in castra recipiunt. reliqui domum discedunt. Vercassivellaunum autem Arvernum nostri vivum comprehendunt.

#### **Marcus Marcellus**

Marcellus oppidum oppugnat. tandem oppidum armis capit. sed oppidum delere non audet. nam oppidani arma iam ponunt, Romanis periculum iam non impendet. itaque Marcellus cunctis aedificiis parcere constituit. multa atque egregia signa in oppido relinquit, nonnulla autem signa in foro Romano ponere constituit. suo autem in horto Marcellus signa non ponit. privatam enim virum ornamenta publica non decent.

### **Lektion 4**

Pomponius multas epistulas scribit.  
unam epistularum pueris dat.  
Marcus et Iulia, amicus et amica Pomponii, pueros iam exspectant.  
tandem cum epistula veniunt.  
amico et amicae Pomponii epistulam dant.

#### **Sittenverfall in Rom**

primo magis ambitio quam avaritia animos virorum exercet. nam gloriam, gratiam, imperium viri et boni et mali petunt. sed paulatim pecunia et gloria animos multorum Romanorum corrumpit.

nunc cuncti divitias, imperium, potentiam quaerunt et postulant. avaritia magis magisque pecuniae studet.

ex divitiis igitur luxuria, avaritia, superbia adolescentiam invadit: multi ex populo Romano rapere atque consumere incipiunt. in luxuria vitam agunt, magno cum studio aliena cupiunt. ita avaritia viros improbos facit.

#### **Lucius Sergius Catilina**

in tanta atque tam corrupta re publica Catilina vivit. magna eloquentia et sapientia, sed ingenio malo excellit. ab adolescentia bellis et discordiae studet. improbus animus Catilinae aliena et immoderata semper appetit. Catilina miser multa flagitia facit, luxuria atque iniuria deos Romanos offendit.

nonnulli viro malo parent et audacia licentiaque rem publicam opprimunt.

## **O tempora, o mores!**

senatus insidias intellegit, consul videt. Catilina tamen vivit. vivit? immo etiam in curiam venit et cunctos bonos viros interficere studet. sed viri vere Romani rei publicae liberae consulunt et vitia Catilinae vituperant et virum improbum meo consilio poena afficere debent.

## **Lektion 5**

Catilina improbus est.

Labienus legatus est.

Catilina magna eloquentia est, sed malo ingenio.

## **Cicero gegen Verres**

in hoc iudicio vos de reo, populus Romanus de vobis iudicat. nullum aliud consilium tanta magnificentia et tanto fastigio est! sed tota quaestio est haec: possuntne senatores tam pecuniosum atque improbum virum damnare? iste reus sine dubio vir magna avaritia est. in eo nihil est praeter summa peccata magnamque pecuniam. itaque, si eum liberare Romanis placet, id iudicium cunctos viros bonos offendit. numquam enim gratia et propinqui magna potentia tot tantaque eius vitia sublevare possunt. nemo honestus istum per gratiam absolvere potest. haec causa vitia tam nota, tam magna, tam manifesta ostendit!

## **nomen est omen**

illud templum est apud Agrigentinos non longe a foro, sanctum apud illos. ibi est pulchrum simulacrum illius Herculis. id rapere Verres constituit. ad hoc templum servi istius impetum nocturnum faciunt. ex domo praetoria ii armati servi veniunt; hoc Agrigentini audiunt. is nuntius cunctos excitat, Agrigentini surgunt telaque comprehendunt. ad Herculis templum ex oppido toto currunt magnamque lapidationem faciunt. dant se nocturni armati istius praeclari viri in fugam. postremo Agrigentini: „Hercules non solum ‚verrem illum Erymanthium‘, sed etiam hunc ‚Verrem‘ vincere potest.“

## **Sentenzen**

1. caecis hoc satis clarum est.
2. aurea sunt vere nunc saecula.
3. haec ornamenta sunt mea.

## **Lektion 6**

quis est Verres?

quid facere vult?

quas iniurias facit?

Verrem, cuius vitia cunctos viros bonos offendunt, Romani damnare volunt.

in templo, quod est sanctum apud Agrigentinos, pulchrum simulacrum est.

quod rapere Verres constituit.

## **Das Leben – eine Qual?**

„tota vita nos vexat!“ – id testimonium saepe in se ipsos dicunt ii, quos alii iudicant beatos? quibus querellis nec alios mutant nec se ipsos. sed quis cogit eos falsum putare? vita cito eos effugit! non enim comprehendunt, non retinent, sed consumunt – imprimis ii, qui nihil nisi vinum ac luxuriam appetere volunt. ii autem, quos fortuna secunda opprimit, inter turbam suam aut causas saepe exclamant: „mihi vivere non licet.“ – quid? cuncti, qui eos consulunt, ab iis rapiunt horas vitae!  
quot horas ille reus abducit? quot ille candidatus? quot ille praeclarus amicus, qui vos non amicos, sed ut ornamentum vult habere?

## **Carpe diem!**

praecipitat quisque vitam suam – et quo laborat? quid desiderat? futura desiderat. praesentia enim eum vexant.  
at ille, qui totam vitam in commodo suo collocat, qui cunctas horas tamquam ultimam instituit, nec optat crastinum nec timet. cuncta vitae gaudia ei nota sunt, cunctis abundat. de ceteris fortuna constituere potest, ut vult: vita iam tuta est.

## **Sentenzen**

incidit in Scyllam is, qui vult vitare Charybdim.  
quos deus perdere vult, eos prius dementat.  
idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.

## **Lektion 7**

Seneca vir magna sapientia est.  
Seneca vir magnae sapientiae est.

## **Aus dem zweiten Jahr des Krieges in Gallien**

Caesar omnia arma atque obsides ab Suessionibus accipit; inter quos et Galbae regis filii sunt. tum in deditionem hostes accipit legionesque in fines Bellovacorum ducit. qui in oppidum Bratuspantium properant. Caesar oppidum turribus et vineis et aggere oppugnare instituit. tum omnes maiores natu oppidum relinquunt et ad Caesarem contendunt. pacem a Caesare et Romanis petunt. pro Bellovacis Diviciacus Haeduus facit verba.  
Caesar honoris Diviciaci atque Haeduorum causa Bellovacos conservat et, quia civitas magna inter Belgas auctoritate est et hominum multitudine praestat, sescentos obsides poscit.

## **Der Anfang des Krieges**

Helvetii fines suos, qui angusti sunt, relinquere et per provinciam nostram iter facere constituunt. exploratores consilium hostium Caesari nuntiant. Caesar magnis itineribus ab urbe in Galliam ulteriorem contendit et incredibili celeritate ad Genavam pervenit.  
Helvetii legatos ad eum mittunt nobiles cives, qui eius voluntatem petunt, sed Caesar id non concedit et ea legione, quam secum habet, militibusque fortibus, qui ex provincia conveniunt, a lacu Lemanno, qui in flumen Rhodanum influit, ad montem Iuram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit, murum in altitudinem pedum sedecim fossamque perducit eoque modo Helvetios itinere prohibet.

## Lektion 8

multi dicunt: „vita cito effugit.“  
multi vitam cito effugere dicunt.  
res publica Romana praeclara est.  
Cicero epistulam de re publica scribit.

### Welche Verfassung ist die beste?

est igitur res publica res populi, qui de iure et communi utilitate consentit. homines eam civitatem consilio regere debent. omnino tria sunt genera rerum publicarum. primo summa potentia est apud unum; itaque docti illum unum regem et civitatem eius regnum appellant. deinde auctoritas apud delectos principes est; itaque docti dicunt optimates rem publicam regere. postremo tota potestas interdum in populo est. sed constat regem solum regnare et ceteros communis consilii experts esse et apparet multitudinem libertate carere, si optimates rem publicam gerunt. apparet autem civitatem popularem quidem iustam esse, sed bonos excellere non posse. interdum rex aequus ac sapiens aut delecti cives aut ipse populus rem publicam aliqua iustitia regunt.

### Gefahren für die Verfassung

haec constitutio rei publicae mea sententia praeclara est, quae aequabilitatem firmitudinemque magnam habet. praeterea genera rei publicae in contraria vitia se convertere non possunt. spes est in hac permixta constitutione rei publicae principes officia numquam neglegere.

## Lektion 9

Cicero Attico scribit haec:  
ego te exspecto. te exspectant etiam Terentia et Tullia.  
quia nos omnes te iam diu exspectamus, valde gaudemus, quod venis.  
gaudemus etiam, si amicos tecum habes.  
veni! venite!

### Ein pater familias in Sorge I

si vos valetis, bene est, ego valeo.  
considerate etiam atque etiam, animae meae: quid facere vultis? Romaene vultis esse an mecum tuto loco? mihi veniunt in mentem haec: Romae vos esse tutas posse per Dolabellam. sed rursus illud me movet, quod video omnes bonos abesse Roma et eos mulieres suas secum habere. ceterum ipsae facitis ea, quae faciunt et aliae mulieres. si igitur vobis periculum impendet, commode vel mecum vel in nostris praediis esse potestis.

### Ein pater familias in Sorge II

dum litteras scribo, ecce venit ad nos Aegyptia. is, quamquam nobis nuntiat te belle habere, tamen, quod negat te posse ad nos scribere, curam nobis affert. etsi ego vero cupio te ad me venire, tamen viam timeo, quia gravissime aegrotas.  
tu, si nos omnes amas, confirma te.  
vale.

## **Tiefe Einblicke in die römische Mannerseele ...**

cur non basio te, Philaeni? calva es.  
cur non basio te, Philaeni? rufa es.  
cur non basio te, Philaeni? lusca es.  
haec qui basiat, o Philaeni, fellat.

## **Lektion 10**

Romani legatum ad Gallos mittunt.  
→ legatus (a Romanis) ad Gallos mittitur.  
Marcus amicos epistula delectat.  
→ amici epistula delectantur.  
vos Romanos vocamus.  
→ (vos) Romani vocamini.

## **Die Entstehung des Staatswesens**

Laelius: dic nobis, o Scipio: quid de optimo genere rei publicae sentis? quod genus tibi optimum videtur? tu enim ab omnibus civibus sapiens appellaris. itaque sententia tua nobis curae est.

Scipio: valde gaudeo et delector, quod sapiens appello et sic a vobis laudor. si vis, o Laeli, primum a communitate hominum incipio. homines in congregationibus vivunt. quae congregationes hominum appellantur vel aedes vel oppidum vel urbs vel res publica. in his civitatibus etiam deis aedes sunt, quae templa nominantur.

## **Der Kreislauf der Verfassungen**

qui sine iustitia regit, tyrannus appellatur. cum rex iniustus esse incipit et optimates populusque ab hoc tyranno opprimuntur, illud genus perditur. saepe autem rex ab optimatibus e medio tollitur: hoc secundum genus rei publicae est. sin autem populus regi iusto aut optimatibus vim affert, hoc rei publicae detrimento est. necesse autem est libertatem omnium civium semper servari. salus rei publicae omnibus civibus curae esse debet.

## **Gefahren für einen jungen Fürsten**

falluntur, qui largitionibus sibi multitudinis animos conciliant. et paratur his rebus nonnulla popularis gratia; verum ea neque vera neque duratura est. alitur interea mala populi cupiditas, quae postea limitari iam non potest.

## **Lektion 11**

ex fluminibus mare nascitur.  
milites hostem sequuntur.  
senatus rem constituit.  
potestas senatus magna est.

## **Die Kräfte des Körpers und des Geistes**

omnes homines, qui student praestare ceteris animalibus, per totam vitam summo animi corporisque studio uti debent. nostra enim omnis vis ex animo atque corpore nascitur: animi imperio et corporis servitio utimur. alterum nobis cum deis, alterum cum bestiis commune est. quare rectum esse arbitror ingenii opibus gloriam sequi; et quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est, memoriam quidem nostri longam efficere opus est. nam divitiarum et formae gloria non multos annos manet, sed cito moritur, virtus autem aeterna habetur.

## **Der Senat ergreift Maßnahmen gegen Catilina**

Ciceroni consuli et senatui nuntiatur nonnullas manus Catilinae in Etruria plebem sollicitare. consul, quia cives urbem a periculo exercitus Catilinae non iam tueri posse arbitratur, de hac re in senatu loquitur. itaque senatus decernit, quod plerumque in atroci negotio solet: summa potestas per senatum more Romano magistratui permittitur. exercitus paratur, bellum geritur, omnibus modis socii atque cives defenduntur, consuli summum imperium atque iudicium est. sine populi iussu autem consul eas res decernere non debet.

## **Sentenzen**

1. manus manum lavat.
2. audacter calumniare, semper aliquid haeret!
3. natura non facit saltus.
4. saxa loquuntur.

## **Lektion 12**

Lucius celerior quam Marcus est. / Lucius est Marco celerior.  
nihil virtute pulchrius est.

Socrates Apollinis oraculo sapientissimus dicitur.

Nausicaa pulcherrima Ulixem amat.

metus populi maior est.

idem metus belli senatum capit.

## **Die Macht der Freundschaft**

amicitia res plurimas continet; quoquo te vertis, praesto est, nullo loco excluditur, numquam molesta est. itaque non aqua, non igni, ut aiunt, locis pluribus utimur quam amicitia. neque ego nunc de vulgari aut de mediocri, quae tamen ipsa et delectat et prodest, sed de vera et perfecta loquor. nam et secundas res splendiores facit amicitia et adversas leviores. plurimas et maximas commoditates amicitia continet. sed debilitari animos aut cadere non patitur. verum enim amicum qui intuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur sui. quare et absentes adsunt et egentes abundant et imbecilli valent et, quod incredibile est, mortui vivunt. tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur amicorum.

## **Keine Freundschaft ohne virtus!**

nihil est virtute amabilius. et virtutem amo Scipionis, quae mortua non est. de communi vita recordor, de eodem victu, de otioso tempore. sine quarum rerum memoria desiderium coniunctissimi atque amantissimi viri ferre nullo modo possem. vos autem hortor: nihil – praeter virtutem – amicitia praestabilius putate!

## **Protagoras – ein Wortverdrehler**

Protagoras insincerus philosophus est, sed acerrimus sophistarum. pollicetur discipulis se docere infirmiore causam fortiolem facere.

## **Lektion 13**

Cicero vir doctus est et docte dicit.  
sed Aristoteles philosophus doctissimus fuit. itaque doctius quam Cicero dixit.  
Romani Caesarem consulem esse sciunt. – scimus Caesarem consulem fuisse.  
nunc Caesar bella civilia gerit.  
primo bellum contra Gallos gessit.

### **Cicero schmeichelt Caesar**

subiecisti, C. Caesar, gentes barbaras, plurimas, maximas: sed tantum eas vicisti, quae vinci potuerunt. qui autem animum vincere, victoriae temperare, adversarii dignitatem augere potuit, eum simillimum deo iudico.  
audivimus enim et legimus te id clementer, iuste, sapienter fecisse! postquam omnes victores bellorum civilium aequitate superavisti, tua iustitia ac clementia hodie te ipsum vicisti. ipsam victoriam vicisse videris. non ignoramus, patres conscripti, hunc non diutius bellum gessisse: gladium in urbe non vidimus. quos amisimus cives, eos Martis vis cecidit, non ira Victoriae. C. Caesaris iudicium et me et reliquos amplissimos viros conservavit et patriae reddidit.

### **Augustus lobt seine eigenen Leistungen**

qui parentem meum occiderunt, eos in exilium quam celerrime expuli et iudiciis legitimis acerrime punivi eorum facinus. bella civilia externaque terra marique saepe gessi victorque omnibus civibus, qui veniam petiverunt, peperci. senatus me Augustum appellavit virtutis, clementiae, iustitiae causa.

### **Sentenzen**

1. veni, vidi, vici.
2. citius, altius, fortius

## **Lektion 14**

hostes victi sunt.  
quamquam hostes victi erant, Augustus eos conservavit.  
non ignoramus Caesarem bellum gessisse.  
non ignoramus bellum a Caesare gestum esse.

### **Räuber der Welt? ...**

nam Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis una causa belli erat, cupido profunda imperii et divitiarum: non solum Carthago Hispaniaque hac ratione victa est, sed etiam constat Romanos arma in Achaiam, Macedoniam, Asiam convertisse. Romani arma in omnes habebant, acerrima in eos, quibus, postquam superati sunt, spolia maxima abstulerunt; neque humana neque divina eos prohibuerant socios, amicos, inopes potentesque rapere. a principio perpetuo domus, coniuges, agri ab eis rapti erant.

### **... oder Wohltäter der Welt?**

imperium populi Romani beneficiis, non iniuriis tenebatur; apparet eo tempore bella aut pro sociis aut de imperio gesta esse, exitus bellorum aut mites aut necessarios fuisse. regum, populorum, nationum refugium erat senatus, nostri autem magistratus imperatoresque aequitate et fide provincias sociosque defendere solebant. ex his rebus maximam laudem capere studebant.

#### **Sentenzen**

1. tempus fugit.
2. quod sequitur, fugio; quod fugit, usque sequor.
3. sapere aude!

### **Lektion 15**

pueri a Cicerone vocati sunt.

itaque venerunt.

pueri a Cicerone vocati venerunt.

pueri a Cicerone vocati sunt. tamen non venerunt.

pueri a Cicerone vocati non venerunt

#### **Von den Völkern rechts und links des Rheins**

in eadem causa fuerunt Usipetes et Tencteri. qui complures annos Sueborum vim sustinuerunt, postremo tamen ex agris pulsi et multis locis Germaniae triennium vagati ad Rhenum pervenerunt, quae regio a Menapiis incolebatur. hi ad utramque ripam fluminis agros, aedificia vicosque habebant. sed tantae multitudinis adventu perterriti ex iis aedificiis, quae trans flumen habebant, demigraverunt et cis Rhenum praesidia disposuerunt Germanosque transgredi prohibebant.

#### **Tricks der Germanen**

Germani omnia experti neque vi contendere propter inopiam navium neque clam transgredi propter custodias Menapiorum potuerunt, sed domum se reverti simulaverunt et tridui viam progressi rursus reverterunt. Menapii interim de Germanorum discessu per exploratores certiores facti sine metu in suos vicos reverti coeperunt. quos Rhenum transgressos impeditosque Germani oppresserunt.

#### **Eine Schlacht zwischen Römern und Atrebatern**

legionis nonae et decimae milites cursu exanimatos vulneribusque confectos Atrebates celeriter ex loco superiore in flumen compulerunt et transgredi conatos insecuti gladiis magnam partem eorum impeditam interfecerunt.

### **Lektion 16**

Cicero epistulas exspectans pueros vocavit.

Atticus Ciceronem epistulas scribentem appellavit.

## **Wahre virtus braucht ihr Publikum**

idem dicere et bono viro possum: „miserum te iudico, quod numquam fuisti miser. egisti sine adversario vitam.“

itaque quidam ipsi ultro se cessantibus malis obtulerunt. Triumphum ego gladiatorem de raritate munerum audivi querentem: „quam bella“ inquit „aetas perditur!“ milites gloriantur vulneribus, laeti fluentem sanguinem ostentant.

labor optimos citat: boni viri laborant, et volentes quidem.

## **Contenance!**

duo milites incumbentes regis tabernaculo faciebant, quod homines libentissime faciunt: de rege suo male existimabant. audivit omnia Antigonus, quoniam inter dicentes et audientem palla intererat; quam ille leviter commovit et „longius“ inquit „discedite; rex vos fortasse audit.“

idem quadam nocte, postquam milites suos audivit omnia mala imprecantis regi, auxilio venit eis, qui maxime laborabant, et ignorantibus, quis esset, explicuit: „nunc male dicite Antigono, qui vos in illud lutum duxit; ei autem bene optate, qui vos ex his miseriis eduxit.“

## **Jesus vor Pilatus**

et surgens omnis multitudo eorum duxit illum ad Pilatum. coeperunt autem accusare illum, dicentes: „hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributum dare Caesari, et dicentem se Christum regem esse.“

## **Lektion 17**

Caesar hostes vicit. deinde exercitum in castra duxit.

hostibus victis Caesar exercitum in castra duxit.

pauci oppidum defenderunt. tamen Caesar id capere non potuit.

Caesar oppidum paucis defendentibus capere non potuit.

## **Die Entscheidung rückt näher**

hoc confecto negotio Cn. Pompeius filius Lissum profectus est. Lissum expugnare conatus defendentibus civibus Romanis militibusque, quos praesidii causa miserat Caesar, triduum moratus paucis in oppugnatione amissis re infecta inde discessit.

Caesar postquam Pompeium ad Asparagium esse cognovit, eodem cum exercitu profectus est. expugnato in itinere oppido Parthinorum tertio die ad Pompeium pervenit iuxtaque eum castra posuit et postridie eductis omnibus copiis acie instructa pugnae facultatem Pompeio dedit.

## **Caesar rückt nach Dyrrachium vor**

Caesar, ubi Pompeium suis locis se tenere animadvertit, reducto in castra exercitu aliud consilium capit.

itaque postero die omnibus copiis Dyrrachium profectus est sperans Pompeium ab eo oppido intercludi posse. Pompeius enim primo ignorans eius consilium Caesarem inopia rei frumentariae compulsus discessisse existimabat; postea per exploratores certior factus postero die castra movit breviori itinere se occurrere ei posse sperans. quod fore suspicatus Caesar parva parte noctis itinere intermisso mane Dyrrachium venit atque ibi castra posuit.

## **In einer stürmischen Winternacht ...**

turbato ventis mari speculatorio navigio solus ire temptavit. exstat ad trepidum tanto discrimine gubernatorem vox ipsius: „quid times? Caesarem vehis eiusque fortunam!“

## **Lektion 18**

Caesar, cum Pompeium intercludi posse speraret, omnibus copiis Dyrrachium profectus est. cum Dyrrachium proficisceretur Caesar, Pompeius eius consilium primo ignorabat. Pompeius, cum per exploratores certior factus esset, postero die castra movit. Socrates, cum facile educi e custodia posset, (tamen) noluit.

### **Der Stoiker: Ein Leben voller Pflichten**

sed cum statuissem scribere ad te aliquid hoc tempore, multa postea, ab eo incipere maxime volui, quod et aetati tuae est aptissimum et auctoritati meae. nam cum multa in philosophia et gravia et utilia accurate a philosophis disputarentur, latissime patere videbantur ea, quae de officiis tradita ab illis et praecepta sunt. nulla enim vitae pars, neque publicis neque privatis neque forensibus neque domesticis in rebus, vacare officio potest.

### **„Höchstes Recht – höchstes Unrecht“**

existunt etiam saepe iniuriae calumnia quadam et nimis callida, sed malitiosa iuris interpretatione. ex quo illud proverbium „summum ius – summa iniuria“ factum est, quod iam sermone tritum est. quo in genere etiam in re publica multa peccantur, ut ille peccavit, qui, cum triginta dierum essent cum hoste indutiae factae, noctu populabatur agros, cum dierum essent pactae, non noctium indutiae.

### **Der fußkranke Kaiser und seine Soldaten**

Septimius Severus, cum pedibus aeger bellum moraretur idque milites anxie ferrent eiusque filium Augustum fecissent, imperatorem et tribunos et centuriones et cohortes sisti reorum modo iussit. cum autem omnes milites, victores tantorum hostium, strati humi veniam precarentur, »sentitisne« inquit, »caput potius quam pedes imperare?«

## **Lektion 19**

Romani vincunt.

→ Romani ita pugnant, ut vincant.

Romani vicerunt.

→ Romani ita pugnaverunt, ut vicerint.

### **Cicero und Epikur**

sic sapiens vivit, ut contineat cupiditates, neglegat mortem, de diis immortalibus sine ullo metu vera sentiat; sic vitam agit, ut non dubitet – si necesse aut melius est – excedere e vita. his rebus tam bene instructus est sapiens, ut semper in voluptate vivat. neque enim fieri potest, ut non plus voluptatum habeat quam dolorum. nam et praeterita grate meminit et praesentibus ita potitur, ut omnes res iucundas animadvertat neque pendeat ex futuris.

## **Schmerz, Vernunft und Naturerkenntnis bei Epikur**

cum autem Epicuro ipsi dolores occurrerent, numquam vim tantam habebant, ut non plus gaudii habuerit Epicurus quam miseriae. ille philosophus semper metu atque timore liber erat et ita vivebat, ut fortuna numquam turbaverit vitam eius. semper ita agebat, ut maximas gravissimasque res ratione atque consilio decreverit et summam voluptatem adeptus sit. discipulos suos docebat homines omnium rerum natura cognita levare superstitione, liberari mortis metu, non perturbari ignorantia rerum, e qua ipsa horribilis nascitur saepe timor.

## **Karl der Große, ein sprachgewandter Kaiser**

(Carolus Magnus) erat eloquentia copiosus et exuberans. nec patrio tantum sermone contentus etiam peregrinis linguis operam impendit. Latinam ita didicit, ut aequae illa ac patria lingua orare sit solitus. Graecam vero melius intellegere quam pronuntiare poterat. adeo quidem facundus erat, ut etiam dicaculus appareret.

## **Lektion 20**

Iulius ad amicum venit, ut auxilium petat.  
Iulius ad amicos venit, ut auxilium mittant.  
Iulius venit. petit, ut amici sibi auxilio veniant.

## **Briefzustellung per Luftpost**

Caesar venit magnis itineribus in Nerviorum fines. ibi ex captivis cognoscit, quanto in periculo res sit. tum cuidam ex equitibus Gallis magnis praemiis persuadet, uti ad Ciceronem epistulam deferat. hanc Graecis litteris conscriptam mittit, ne intercepta epistula ab hostibus consilia nostra cognoscantur. Gallum monet, ut pilum cum epistula deligata intra moenia castrorum abiciat. in litteris scribit se cum legionibus profectum celeriter adfore; hortatur, ut pristinam suam virtutem retineat. Gallus pilum mittit. Cicero epistulam in conventu militum recitat maximaque omnes laetitia afficit.

## **Caesars Freunde leben gefährlich**

erat in Carnutibus summo loco natus Tasgetius adulescens, cuius maiores in sua civitate regnum obtinuerant. huic Caesar pro eius virtute atque in se benevolentia maiorum locum restituerat. Tasgetium tertium iam annum regnantem inimici interfecerunt. qua re nuntiata Caesar veritus, ne civitas deficeret, Lucium Plancum cum legione in Carnutes proficisci iussit. imperavit, ut ibi hiemaret inimicosque Tasgetii comprehensos ad se mitteret.

## **Trojas Untergang**

„heu fuge, nate dea, teque his“ ait „eripe flammis.  
hostis habet muros; ruit alto a culmine Troia.  
sacra suosque tibi commendat Troia penatis;  
hos cape fatorum comites, his moenia quaere ...“

## Lektion 21

Lucius inimicos comprehendet.  
illos, ubi primum comprehenderit, ad me mittet.  
poteritis habere pacem, cum in civitate Antonium videbitis?  
rem tene, verba sequentur.

### Senecas Ratschläge gegen Verlustangst

„hoc perdetur!“ – nempe adventicium fuit. tam facile sine isto vives, quam vixisti. „pecuniam minorem habebis!“ – nempe et molestiam. „gratiam minorem!“ – nempe et invidiam.  
circumspice ista, quae nos agunt in insaniam, quae cum plurimis lacrimis amittimus: scies non damnum in iis molestum esse, sed opinionem damni. nemo illa perdita esse sentit, sed cogitat. qui se habet, nihil perdidit.

### Muss Rhetorik elegant sein?

oratio sollicita philosophum non decet. orator timidus ubi tandem erit fortis et constans, ubi periculum sui faciet? Fabianus non erat negligens in oratione, sed securus. itaque nihil invenies sordidum: electa verba sunt, non captata, nec huius saeculi more contra naturam suam posita et inversa, splendida tamen, quamvis sumantur e medio. videbimus, quid parum recisum sit, quid parum structum, quid non huius recentis politurae. cum circumspexeris omnia, nullas videbis angustias inanes.

### Die „imitatio Christi“

tolera multa adversa et varia incommoda in hac misera vita, quia Dominus sic tecum erit ubicumque, et sic re vera vitam invenies, ubicumque latueris. oportet te ita esse, et non est malorum et dolorum remedium, quam ut te patiaris.

## Lektion 22

si cum virtute vivis, beate vivis.  
Epicurus nisi sapienter viveret, mortem non neglegeret.  
Cicero, si sociis Catilinae pepercisset, in exilium non missus esset.

### Sind alle Gesetze gerecht?

illud stultissimum est existimare omnia iusta esse, quae scripta sunt in populorum institutis aut legibus. etiamne iustae sunt, si quae tyrannorum leges sint? si triginta illi Athenis leges imponere civibus voluissent et si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus – num igitur eae leges iustae haberentur?

### Was ist die Grundlage der Gesetzgebung?

si qui censeant iustitiam esse tantum obtemperationem scriptis legibus institutisque, vehementer errant. praeterea si omnia utilitate iudicantur, is negleget leges easque rumpet, qui sibi id utile fore putabit.  
ita accidit, ut nulla sit omnino iustitia, si natura non est, et virtutes omnes tollantur, si natura ius non confirmabit. ubi enim liberalitas, ubi patriae amor, ubi pietas poterit existere?

quod si populorum iussis, si principum decretis, si sententiis iudicum iura constituerentur, ius esset rapere, ius adulterare, ius fallere, si haec suffragiis aut consiliis multitudinis probarentur.

### **Phaedrus, „Der Fuchs und der Rabe“**

„o qui tuarum, corve, pennarum est nitor!  
quantum decoris corpore et vultu geris!  
si vocem haberes, nulla prior ales foret.“

### **Lektion 23**

tyrannus leges rupturus est.  
omnes tyrannum leges rupturum non esse sperant.  
nam leges, quas tyrannum neglegere omnes vident, iustae habentur.

### **Ein fataler Irrtum der Ankläger**

crimen incredibile fingunt, testis in hunc et accusatores pecunia comparant; patronos huic defuturos putaverunt.  
credo Erucium, cum vidisset, qui homines hic sederent, quaesisse, num ille aut ille defensurus esset; de me ne suspicatus quidem est, quod antea causam publicam nullam dixi.  
haec te opinio falsa, Eruci, in istam fraudem impulit. non me Hercules verbum fecisses, si tibi quemquam responsurum putasses.

### **Ein junger Anwalt macht Furore**

credo ego vos, iudices, mirari, cur – cum tot summi oratores hominesque nobilissimi hic sedeant – ego surrexerim, is, qui neque aetate neque ingenio neque auctoritate sum cum his comparandus.  
omnes hi, quos videtis adesse, in hac causa iniuriam novo scelere conflata putant oportere defendi; defendere ipsi propter iniquitatem temporum non audent.  
occidisse patrem Sex. Roscius arguitur. scelestum, di immortales!, ac nefarium facinus, quo nihil profecto peius est.

### **Was du heute kannst besorgen ...**

cras te victurum, cras dicis, Postume, semper.  
dic mihi, cras istud, Postume, quando venit?  
cras vives? hodie iam vivere, Postume, serum est:  
ille sapit, quisquis, Postume, vixit heri.

### **Lektion 24**

legati Helvetiorum Caesari dicunt: „nobis est in animo sine iniuria iter per provinciam tuam facere, quia aliud iter habemus nullum.“  
legati Helvetiorum Caesari dicunt sibi esse in animo sine iniuria iter per provinciam eius facere, quia aliud iter habeant nullum.  
Romani hostes flumen transgredi dicunt.  
hostes flumen transgredi dicuntur.

## **Verschwörung in Nordgallien?**

Caesar litteris Labieni certior fiebat omnes Belgas Germanosque, qui cis Rhenum incolunt, contra populum Romanum coniurare.

ipse primo vere ad exercitum venit. imperat reliquis Gallis, qui finitimi Belgis erant, uti ea, quae apud eos gerantur, cognoscant seque de his rebus certiores faciant.

hi constanter omnes nuntiaverunt manus cogi, exercitum in unum locum conduci.

## **Von allen im Stich gelassen (aus dem *Bellum Civile*)**

Domitius fuga salutem petere dicitur. divulgato eius consilio milites prima vesperi hora ita inter se colloquuntur: obsideri se a Caesare; opera eius prope esse perfecta; ducem suum Domitium fugae consilium capere; debere se suae salutis rationem habere.

itaque omnes Domitium custodiunt legatosque ad Caesarem mittunt, ut dicant: sese paratos esse portas aperire et, quae imperaverit, facere et L. Domitium vivum in eius potestatem tradere.

## **Ein Ausspruch Caesars aus der Zeit des Bürgerkriegs**

„hoc voluerunt; tantis rebus gestis Gaius Caesar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petissem.“

## **Lektion 25**

Domitius fugiendi consilium cepit.

milites ad pugnandum parati sunt.

cognovi, quas urbes populus Romanus pugnando cepisset.

## **Warum schreibt Sallust Geschichte?**

igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit et reliquam aetatem a re publica procul habere decrevi, neque fuit consilium socordia atque desidia bonum otium Romae absumere neque agrum colendo aut venando ruri aetatem agere; sed res gestas populi Romani carptim perscribendi consilium cepi, ut quaeque memoria digna videbantur. multa legendo, multa audiendo cognovi, quae populus Romanus domi militiaeque, mari atque terra praeclara facinora fecisset; imprimis autem de Catilinae coniuratione, quam verissime potero, paucis verbis scribam.

nam id facinus ego memorabile existimo sceleris atque periculi novitate. nunc initium narrandi faciam, quod mihi a spe, metu, partibus rei publicae animus liber est.

## **Caesar und Cato**

igitur iis genus, aetas, eloquentia prope aequalia fuerunt, magnitudine animi par fuit, item gloria. Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur, integritate vitae Cato. ille mansuetudine et misericordia clarus factus est, huic severitas dignitatem addiderat. Caesar dando, iuvando, ignoscendo, Cato nihil largiendo gloriam adeptus est.

## Lektion 26

Cicero cepit consilium patriam defendendi. *oder:*  
Cicero cepit consilium patriae defendendae.  
ad patriam defendendam parati sumus.  
in patria defendenda milites interfecti sunt.

### **Auch in einem beklagenswerten Staat ist der Philosoph nicht untätig**

numquid potes invenire urbem miseriorem, quam Atheniensium fuit, cum illam triginta tyranni divellerent? in civitate, in qua erat Areos pagos, religiosissimum iudicium, in qua erat senatus populusque senatui similis, ad iudicia dicenda coibat cotidie carnificum triste collegium, et infelix curia tyrannis angustabatur. ne spes quidem ulla recipiendae libertatis animis poterat offerri. Socrates tamen in medio erat, et lugentis patres consolabatur, et desperantis de re publica exhortabatur. hunc tamen Athenae ipsae in carcere occiderunt.

ille profecto vir erit, qui in periculis subeundis – armis circa et catenis frementibus – non adliserit virtutem nec absconderit: non est enim servare se obruere. ut opinor, Curius Dentatus aiebat malle esse se mortuum quam vivere: ultimum malorum est e vivorum numero exire, antequam moriaris. sed faciendum erit, si in rei publicae tempus minus tractabile incideris, ut plus otio ac litteris vindices – nec aliter quam in periculosa navigatione subinde portum petas nec exspectes, donec res te dimittant, sed ab illis te ipse diungas.

## Lektion 27

militibus pugnandum est.  
omnes labores militibus sustinendi sunt.  
Caesar Labieno legato duas legiones in Suebos ducendas dedit.  
Haedui legatos ad Caesarem miserunt, qui auxilium peterent.

### **Verschwörung gegen Caesar?**

Caesari omnia uno tempore erant agenda: vexillum proponendum erat, cum ad arma concurrere oporteret; signum tuba dandum; ab opera revocandi milites; qui paulo longius aggeris petendi causa processerant, arcessendi; acies instruenda; milites cohortandi; signum proelii dandum. quarum rerum magnam partem temporis brevitatis et incursus hostium impediabat. Caesar necessariis rebus imperatis equites misit, qui hostium impetum sustinerent ac morarentur.

### **Kommunikationsproblem oder Kriegsverbrechen?**

hoc facto proelio Caesar neque sibi ullos legatos audiendos neque condiciones accipiendas arbitrabatur ab iis, qui per dolum atque insidias petita pace ultro bellum intulissent. quibus ad consilia capienda nihil spatii dandum existimabat.  
his constitutis rebus opportunissime res accidit, quod postridie mane eadem et perfidia et simulatione usi Germani omnibus principibus maioribusque natu adhibitis ad eum in castra venerunt sui periculi causa. Caesar omnes praefecto castrorum custodiendos tradidit.

## **Nunc est bibendum**

nunc est bibendum, nunc pede libero / pulsanda tellus, nunc Saliaribus ornare pulvinar  
deorum / tempus erat dapibus, sodales.

## **Lektion 28**

quid dicam?

Caesar hostes vincat.

fortunam nostram feramus.

utinam Caesar hostes vinceret.

## **Cicero im Unglück**

ego minus saepe do ad vos litteras, quam possum, propterea quod conficior lacrimis sic, ut  
ferre non possim. utinam minus vitae cupidi fuissetus!

nos Brundisii apud M. Laenium Flaccum fuimus, virum optimum, qui periculum fortunarum  
et capitis sui prae mea salute neglexit. ubi invenias istum, qui honorem amici anteponat suo?  
huic utinam aliquando gratiam referre possimus! habebimus quidem semper.

### **... und schuld ist nur seine virtus**

o me perditum! quid nunc? rogem te, ut venias, mulierem aegram? non rogem? sine te igitur  
sim? opinor, sic agam: si est spes nostri reditus, eam confirmes et rem adiuves; sin, ut ego  
metuo, transactum est, ad me fac venias.

Cicero meus quid aget? iste vero sit in sinu semper et complexu meo. viximus, floruimus; non  
vitium nostrum, sed virtus nostra nos afflixit. sed si hoc fuit liberis nostris gratius nos vivere,  
cetera, quamquam ferenda non sunt, feramus.

## **Die Kunst des Liebens**

si quis in hoc artem populo non novit amandi,  
hoc legat et lecto carmine doctus amet.

(...)

principio, quod amare velis, reperire labora!

qui nova nunc primum miles in arma venis.